

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0373

0371

0377

0367

0382

0362

0422

0322

0472

0272

0872

Ende

Anfang

360

ne contumeliis afficeremur et pueri Sarracenorum nos vexarent
cum lapidibus et ne rumperent nobis (**b**) vini vascula, sicut
saepe contigisse ibi audivimus. Declinavimus ergo a strata
publica in agrum quendam arboribus ficorum plenum et sub
arboribus illis onera de bestiis posuimus, ut ibi diei abscessum
exspectaremus. In illo agro consedimus et comedimus ac bi-
bimus, quae ad manum habuimus, nec ignem accendere ausi
fuimus, ut aliquid calefactum gustaremus, sed caseum et pa-
nem pro prandio sumsimus et ficus, quarum copia ibi erat,
maturae et dulces, de arboribus legimus; de quibus ego
nimium comedи et poenam non modicam reportavi, nam
ex comedione illa utrumque labium oris mei subito intumuit
et scabies abominabilis per circuitum oris excrevit, ac si leprae
scabies fuissest, ita, quod vix os aperire potui etiam modicum
ad sumendum cibum et potum necessarium; et ita steti multis
diebus in multa passione. Dixerunt mihi quidam experti, quod
ex comedione tantarum ficuum febrilem materiam conceperim
et humorem, qui ad labia se contraxit; quod si factum non
fuissest, gravi febre correptus fuisse. Ego vero suspicabar,
quod ficum veneno alicujus vermis infectam comedissem.
Igitur cum sol occidisset, onera camelis et asinis imposuimus,
et ad Gazam profecti sumus, et paene in tenebris urbem in-
gressi sumus per longum vicum usque ad peregrinorum ho-
spitium. In quod cum ingressi fuissemus, non potuimus nos
movere propter loci arctitudinem, nec potuit locus homines
capere sine supellectili. Cum magna ergo indignatione de
habitatione exivimus et Trutschelmanno diximus, quod non
vellemus nec possemus in loco illo manere, et nisi provideat
nobis de latiori loco, contra eum coram praefecto Gazarae
interpellare vellemus tamquam contra transgressorē promis-
sae fidei in quinto articulo conventionis, ut patet P. 1. fol.
219. Hoc cum audivisset et diu nobiscum contendisset, jus-
sit nos exspectare, et ipse equitavit per civitatem hinc inde
quaerens pro nobis locum. Stetimus ergo diu sic in tenebris
compressi in stricto vico inter asinos et camelos cum parva
patientia in multo timore et tremore, ne forte aliquis tumultus
contra nos emerget. Tandem autem venit Trutschelmannus
et nos longe ab illa domo ad alium duxit locum, ubi quidem

